

responderet insidianti, extendes manum in discipulos, ait:

1453 *Ecce mater mea, et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror et mater est.* Isti sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Isti sunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Non ergo iuxta Marcionem et Manichaeum matrem negavit, ut natus de phantasmate putaretur; sed apostolos cognationi praetulit, ut et nos in comparatione dilectionis carni spiritum praeferamus. *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te.* Quidam fratres Domini de alia uxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et quamdam Melcham vel Escham mulierculam fingentes. Nos autem sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intellegimus materterae Domini quae esse dicitur mater Iacobi Minoris et Ioseph et Iudae, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legitur appellatos (MARC. VI, 3). Fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat. Dicamus et aliter: Salvator loquitur ad turbas, intrinsecus erudit nationes. Mater eius et fratres, hoc est, Synagoga et populus Iudaeorum foris stant, et intrare desiderant, et sermone eius indigni fiunt. Cumque rogaverint, et quaesierint, et nuntium miserint, responsum accipient liberi eos esse arbitrii, et intrare posse, si velint, et ipsi credere; qui tamen intrare non poterunt nisi alios rogaverint.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESE, VOL. I, SERM. 51.)

1454 TERTIA contemplatio pertinet ad processionem Dominicæ passionis tria alia etiam continet de ipso Christo. Primum est iuxta examinationem, secundum Christi condemnatio, tertium Christi delusio.

1455 Primum est Christi examinatio, scilicet, coram Pontifice Caipha; propterea subditur: *Et misit eum Annas ad Caipham Pontificem:* uterque Pontifex: ille cesserat, iste regebat. Secundum enim Hieronymus et Chrysostomus tunc pontificatus euebantur ab eis; propterea contra legem etiam singulis annis novi Pontifices creabantur. *Erat autem Caiphas Pontifex anni illius.* A Pontifice in pontificem illud dicitur ergo Christus, sistitur coram Caipha Filio Dei Iesus: *Adversus quem conveniunt Sacerdotes, et Scribae, et populi seniores.* Ecce Sacerdotum sanctitas vertitur in turpitudinem, Scribarum scientia in errorem, et in furorem trahitur matura senectus, quum hi omnes conveniant contra veritatem, et innocentiam subvertere moliantur.

1456 Omne autem consilium eorum erat quomodo Christum per apertam iustitiam, sive apparentem potius, occidere possent, et non prout homicidae erant in occulto in publico notarentur. Congregatus igitur conventus malignantium, odio aeternitatis in Christum, et quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent. Non tamen dicit Evangelista falsum, quasi non amplius vellet invenire verum testimonium contra eum, si fieri posset; sed ut ostendat quia iniquissima intentione, et cum iniquissimo processu cuncta contra Dominum probare parabantur. Inquirebant, ac per hoc iustitiae velamento invidiam, et animi privatam palliare tentabant. Et quum multi prociac animo, infrunito vultu et impudica lingua testimonium contra Dominum loquerentur, convenientia non erant testimonia, scilicet, sententiae preferendae. *Novissime venerunt duo falsi testes dicentes: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et in triduo reaedificare illud,* ut verificaretur quod Propheta (Ps. xxvii) ait: *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentis est iniquitas sibi.* Falsi testes in proferendi rectitudine fallabantur. Dixerat enim Christus (IOANN. II): *Solvite templum hoc, intelligens de Corpore suo, et in tribus diebus excitabo illud;* quod potius sonat suscitationem corporis mortui, quam reaedificationem destructi templi. Testes falsi dicebant: *Possum destruere templum Dei, intelligentes de lapideo templo; et in triduo reaedificare illud.*

1457 Vide et diligenter adverte quomodo veritas et innocentia per adversarios saepe clarificatur, et tanto magis, quanto plus insanunt contra eam.

Nam summa laus est Christi quod et apparenter minime culpabile opus contra eum invenire non possunt, nec etiam possunt eum accusare de verbo; quia ex hoc quod istud in medium posuerunt, licet sub aliqua falsitate; quod utique de se nullius ponderis erat, patet quod, si contra eum alia habuissent, libentius quidem illa in medium protulissent. Sustinet patienter Dominus et Salvator, ad obiecta non respondet; propterea subditur: *Iesus autem tacebat.* Sed quid facerent, si loqueretur, quem tacendo exagitet furiosos? Nam surgens Princeps Sacerdotum, ait illi: *Nihil respondes ad ea quae ipsi testificantur?* Surgit nempe ex inquietudine mentis, et saevitia efficiebatur seipso superior. Quaerebat responsum non ad credulitatem, sed ut captatis verbis magis ex ipsa subnecteretur accusatio contra eum. Iesus autem nihil respondebat, mysterio, non timore, tanquam cognoscens eum qui loquebatur in fraudem. Magna prudentia est tacere ubi ex omni parte calumnia praeparatur.

1458 Secundo subditur Christi condemnatio, scilicet, coram Pontifice Caipha: nam tunc male iterum agitatus in corde verbis exagitat Christum, dicens: *Adiuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei benedicti.* Adiuratio est inquisitio alicuius sciendae veritatis sub respectu superioris potestatis. Forte Caiphas aliquorum relatione proceperat Christum se dixisse Filium Dei, et hoc in iudicio repeti satagebat, ut eius condemnatio morti per legem aptior vel apparentior esset. Iesus autem sic adiuratus, ne crederetur Deum vivum non diligere, vel non timere, praetermissio silentio, disponebat dare responsum. Sed ante responsum paucis verbis fraudulentiam Caiphae detexit, dicens: *Si vobis dixero, non credetis mihi. Si autem interrogavero, verum non respondebitis mihi, ut ex eadem damnata radice indicet provenire verum dicenti non credere, et verum in responsione quaerenti non dicere.*

1459 Proculdubio Caipham voluisset interrogare Iesum, ut interrogato instrueret, et lucraretur animam eius, et omnium circumstantium, nisi quia praevidebat illos ad falsitatem et mendaciam propaluros. Iterum quoque fraudem illicum detegens, subdit: *Neque dimittitis, quasi dicit: Sed eo armabimini hostilium, quo verum illucescet clarior.* *Verum tamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis, scilicet, in iudicio;* quem, purum hominem credentes, nunc usquequaque contempsistis: *sedentem a dextris virtutis Dei,* ut unum et aequalem cum Patre creditatis Filium corregnantem, et hominem infallibiliter factum Deum. Apocal. cap. I Ioann. ait: *Videbit eum omnis oculus, et qui cum pupuguerunt, id est, in die iudicii videbunt boni et*

1460 mali me Filium Dei, quem boni amaverunt, mali contempserunt: boni ad gloriam, mali autem ad terrorem et poenam. *Sedebit quiescens qui nunc in laboribus agit.* Sedebit iudicans qui nunc iudicandus astat. *Sedebit a dextris virtutis Dei qui ad sinistram diabolicæ potestatis est cum adludicator.* Dextera enim virtus Dei tota est cum Patre omnipotens, et aequa potentia, et tota est cum Deo Patre omnipotens, quam habere, et ostensurum se mundo praenuntiavit.

1461 Non tamen in nubibus pluvialibus aut obscuris advenit, sed virtute Dei uniti naturae humanae in nubibus lucidis velut in tribunalibus sedens: terrae ad iudicandum in aere, more nubis, efficitur ipse vicinus, ac iudicabit in terris positos qui de coelo Coelestis ad terras adveniens, a terrenis iudicium pertulit improbandum; ut, sicut in ligno pendens in aere, inclinato capite, pro omnibus ut moreretur, tradidit spiritum; sic in aere corpore a terra exaltatus iudicabit mundum sibi subditum universum.

1462 Per experientiam patet quod Christus ad calumniam interrogatus est, nam tunc omnes animo furioso dixerunt: *Tu ergo es Filius Dei?* ironice ac derisorie Christi sententiam repetentes. Quibus Salvator fida voce respondit: *Vos dicitis quia ego sum.* Quo animo id dicitis vos noveritis. Quacunque tamen intentione id dicitis, verum dicitis, quia ego sum. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit;* vestimenta scidit, ut accusationem Christi redderet graviorem, et quod dicebat verbis, extolleret factis: et corde adeo divinus divinus adeo peragit actiones, veramque Christi confessionem in falsitatem et blasphemiam suo sensu convertens: et quam dicta testium plus attendens, cordis impetu, malo actu, tonanti voce astantes alloquitur, dicens: *Blasphemavit;* velutque in Christi mortem festinus adiecit: *Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam.*

1463 Sed ne Caiphas totus nocens solus in hoc iudicio delinquere videatur; atque ut ferat sententiam non quasi a senectipso, sed quasi aliorum consilio et assensu, sibi assistentibus: quid videretur? inquit. Sed eo gravius crimen est, quo multos socios quaerit. Responderunt omnes: *Reus est mortis.*

O stupenda nequitia impiorum! videre inter omnes Magistratus et sapientes et, seniores populi Iudaeorum iustitiam conculcatam, et in iusti mortem omnes pariter convenire: at neminem inveniri qui pro innocente consurgat; aut tempus defensionis deponat. O benignitas Salvatoris! O mansuetudo dulcedo, et bonitas Redemptoris! Quid enim erat videre innocentem Iesum, veluti manuetum

agnum, solum inter tot improbos et impios constitutum, facie mansuetum, vultu benignum, mortem expectantem in voto, et promptitudine mentis interdie persistentem?

1464 Tertio subditur Christi delusio: nam, antequam morti per Iudaeos adiudicatus sentiret aculeum mortis, prius suis poenis saturari quaeserens, expuerunt in faciem eius, velut in faciem vilissimi et abiectionis hominis, cui ex animo verbis et acibus exprobrabant, ac si dictorum utilitatem sputi vilitate damarent, ut verifcaretur quod Iob xxx cap., in persona Domini ait: *Faciem meam conspuere non venturum*. Et iterum per Is. i. cap., ait: *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Et velaverunt faciem eius in derisum, et colophis eum percusserunt: alii palmas in faciem eius dederunt*.

1465 O vultus desiderabilis Angelis! et genae quae coelum repletis laetitia, mundumque decore laetificatis! quomodo tam crudeliter caesae esis a manibus impiorum? O collum per quod effusa nobis doctrina salutis! quis ausus est te laedere calophorum percussione?

1466 Sed ut omnis compleatur derisus in domibus Iudaeorum propheta qua ille populus super ceteros iam effusus in Christo capite deridetur, quum, percipientes eum, dicebant: *Prophetiza nobis Christe: quis est qui te percussit?* ut more divinatoris potius, quam prophetae diceret quis percussit eum. Sed haec derisio prophetae ad ipsos impios re-torta est, ut facti omni populo in derisum, et Prophetis veracibus non credentes, ipsis omnino privati, et a prophetis mendacibus decepti, in sua ignorantia exaccati miserum in mundo experiuntur exilium. Et quia Christum Prophetarum omnium veritatem et lumen impie velaverunt, iusto Dei iudicio super illorum corda velamen caecitatis et ignorantiae manet usque adhuc expansum: et, nisi ad Christum fide et dilectione pertranscant in hac vita, nulla ratione tollendum. Denique quibusdam illorum dormitum caecibus, alii nequiores remanserunt Christum usque ad mane verbis et multiplicibus iniuriis illudentes.

1467 Expectat interim extra moestissima Mater Iesu cum sororibus suis implacabili fletu plorans, ac desiderans videre dilectum Filium suum.

1468 Prima contemplatio pertinet ad incrementum Dominicae passionis continet in se tria: nam primo Christus coram Pilato accusatur, secundo examinatur, tertio excusatur.

1469 Primo quidem Christus accusatur a Iudaeis coram praeside Pilato. O horrenda impietas Iudaeorum! quae tantis iniuriis satiari non potuit; quin potius ferali rabie fremens, impio iudici, tamquam rabido cani, animam iusti deglutendam exposuit.

Porro mortem Christi differre periculum autumantes, postquam in eorum concilio fuerat diffinitum Iesum morti obnoxium subiacere; nec habentes quomodo possent eum sententiae mortis tradere; potestate in Romanum Imperium iam translata, aut falso religionem monstrantes, ne propter invidiam viderentur inferre iudicium super eum: *Mase eum tem factio, intolice consilio iterato Principes et omnes Sacerdotes et populi seniores contra Christum, ut eum morti traderent, vinciam adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato praesidi, scilicet, ut saevae mortis experientia puniretur*.

Quumque egrediretur Pontificis domum, erexit se moestissima mater Maria, ut videret Filium suum: quem quum videret facie lividum, spuitur deturpatum, barba et capillis capitis depilatum, et omnino a priori pulchritudine alienatum; obviantibus Matris et Filii oculis simul, prae dolore fere cecidit super terram.

Ad litteram circa veritatem textus est singulariter advertendum quod communitur textus Iohann. 18 cap., ait: *Adducunt ergo Iesum ad Caiphan in praetorium*; sed male stat textus scripturum culpa; nam, secundum Graecos, in quorum lingua Iohannes Evangelium scripsit, textus dicere debet: *Adducunt ergo Iesum a Caipha in praetorium*, id est de domo Caiphae ad domum Pilati, ubi erat praetorium.

1472 Considera igitur, o anima mea, quomodo transiit in somnis nox illa in Christo apertio per toties ex desiderio, atque percusso multoties: et ira saeva atque odium cordiale aliquos Iudaeorum fecit ad irrogandum Christo iniurias vigilare; at tamen insimul condicentes quid, tradendo illum Praesidi, accusando sibi obicerent, quo iuste moveretur Praeses contra eum proferre sententiam mortis. Praetorium enim erat, secundum traditionem antiquam, civium Romanorum locus iudicariae potestatis, ubi eorum fiebat exactio, seu ubi Praetor cum sapientibus, et cum populo conveniebat ad aliquid differendum. Sed praetorium Pilati sic Ierosolymis dispositum erat, quod ex ipsis fenestris allocutio possent esse ad extra positum populum, si necessitas esset; propterea subditur: *Sed Principes Sacerdotum, et omne Iudaeorum consilium praetorium Pilati non introierunt, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha*, scilicet, quod in illo tempore celebrabant. Semper enim Iudaei, vilioribus caeremoniis studiosius intendentes, in maiorum magnorum voraginem ceciderunt. O damnata caecitas et perversa conditio Iudaeorum! verberantur contaminare Pascha, si contra traditiones suas Praesidis intrarent praetorium, sed non verberantur ad mortem iniuste deducere iustum, et innocentem Dominum Iesum Christum.

1473 Secuta est ad praetorium Filium suum plorando moesta Mater, cum Ioanne et Magdalena, atque cum aliis sororibus suis, et aliis mulieribus quae quadam naturali pietate inclinabantur ad eam.

1474 Notanter ad litteram advertendum est in hoc loco quod Matth. xxvii cap., interpositus hic de suspendio Iudae, quomodo Iudaeis pecuniam restituit, ac quomodo Iudaei noluerunt eam ponere in corbanam, id est, in gazophylacium, sive arcam, ubi servabantur dona oblata; quia pretium pro Sanguine Christi fundendo fuerat datum. Licet enim ex sua impietate et caecitate donationem illius pretii forte non iudicarent iniustam, tamen omne tale pretium iudicabant indignum poni cum donis divino cultui consecratis: et ideo quamdam fictam speciem pietatis in hoc servare volentes, emerunt cum eo agrum figuli cuiusdam, ut esset cimiterium peregrinorum: cives enim forte in paternis sepulchris tumulabantur. Et quia ager ille de sanguinis pretio fuit emptus, ideo vocatus est Acheldemach, id est, ager sanguinis usque in hodiernum diem. Quod quidem refertur ad diem quo Evangelista hoc scripsit.

1475 Quaerit tamen Augustinus in quaestionibus novi et veteris Testamenti quomodo, occupatis Principibus Sacerdotum ad necem Christi a mane usque ad horam nonam, Iudas eis reportavit pretium ante Christi resurrectionem, reiectoque in templo; quum constet omnes Principes ante passionem Christi non fuisse in templo, quippe quum in cruce posito insultarent ei? et subdit se nescire quo die, vel tempore se suspendit Iudas: et quod licet narretur in hoc loco, non tamen sequitur ex hoc quod tunc fuerit factum.

1476 Hieronymus tamen, et Origenes supponunt quod, quando Iudas vidit Christum morti adiudicatum, pretium reddidit, dicens: *Peccavi, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris: et proiectis argentis in templo, recessit, et abivis laqueo se suspendit*.

1477 Puto igitur quod Matth. sicut hoc fuit enarrat, ad exaggerandum crimen Sacerdotum qui nec ad poenitentiam Iudae sententiam mutaverunt, nec tamen propter hoc oportuit Principes tunc interesse in templo; quia, postquam noluerunt a Iuda pretium acceptare, videtur quod Iudas ad templum iverit, ut saltem pecuniam relinqueret ibi, quam secum retinere horrebat.

1478 Sed ad seriem historiae revertamur. Pilatus denique, quum cognovisset Iesum in suum praetorium intromisum, ipsis Iudaeis extra positus locutus est, dicens: *Quam accusationem afferitis adversus hominem hunc?* Iudaei vero falsam iustitiam simulantes, et quod non velut invidi eum suae iurisdictioni tradiderant, responderunt:

*Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum; ac si apertus dicant: Non movemur invidia, nec odio agitamur, nec sumus in suo facto, praecipites: antequam tradidissemus eum tibi, discussimus et vidimus malefacta illius: nil aliud, quam maleficia sua, tibi eum per te iudicandum tradere nos compellit. Igitur aperte cognosce quod, si hic malefactor non esset, tibi a nobis traditus non fuisset.*

1479 Pilatus vero, qui leges noverat Romanorum quae non damnabant eum, nisi de particularibus et disertis criminibus iusta probatione convictum; persistit, inquirens; quamvis littera taceat quid diserte adversus Christum obiciant Iudaei, et qui sibi eum tradiderant. Ne tamen in hac iniustissima causa succumbere viderentur, se ad falsa commenta convertunt, dicentes: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Caesari, et dicentem se Regem esse*.

Ecce, imponunt falsa infallibili veritate, ac de tribus gravissimis accusant eum, dicentes ut fecisse primo contra veritatem doctrinae, secundo contra veritatem iustitiae, tertio contra veritatem vitae.

1481 Primo accusant eum fecisse contra veritatem doctrinae; propterea dicunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram*. Secundo contra veritatem iustitiae; propterea addunt: *Et prohibentem tributa dari Caesari*. Tertio contra veritatem vitae; propterea subdunt: *Et dicentem se Regem Iudaeorum*; ex quo manifeste clarescit quod subversi a diabolo dicunt Christum Dominum subvertentem: non enim subvertebat gentem quam convertebat ad legem quam non venit solvere, sed adimplere, sicut ipse (MATTH. V) ait. Nec tributa Caesari dari prohibebat, sed reddenda Caesari interrogantibus ipse dixerat (MATTH. XXII). Et ad vitandum scandalum, quum esset liber, per Petrum statem Regi ante persolverat, sicut patet Matth. xvii. Ac quum esset Rex Regum, et Dominus Dominantium, se regem nunquam asseruit. Potius autem fugi, quum turbas nosceret esse venturas ad eum ex miraculo magno motas, ut cum sibi Regem praeficerent (IOHANN. cap. vi), quia secreta potestate de paucis panibus tantam hominum multitudinem satiavit.

1482 Has nempe accusationes iniquas auribus percipit moesta Mater, et cognoscens voluntatem Filii sui tacet, nec eum excusatur, aut defendit, sed fessum mente et corpore porat.

1483 Sed Pilatus Iudaeorum animositatem manifeste cognoscens, et ex ante relatis intelligens invidiam eorum, eis secundum eorum legem tradidit iudicandum, dicens: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum*. Discant igitur Christiani Rectores, et Principes saeculares a Praeside

isto pagano non pertinere ad eos, neque spectare de Christo post Christum amplius iudicare.

1484 O si Iudaei a Pilato praedicti redissent ad cor, et legem cum Prophetis vigili mente legisset, et secundum illam iudicassent Christum, profecto decrevisset, et cognovissent penitus esse Deum Dei Filium, hominem verum, et potius poenitentiam docerentur, quam illum tradidissent ut hominem reum. Sed quoniam per Mosaicam legem morti eum adiacere non poterant, sicut ipsi bene praenoverant, se falso ad religionem convertunt, dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam*: inevaluabiliter Christi mortem gerebant in corde qui de interfectione clamabant. Non enim eis dixerat Pilatus accipite, et interficite; sed dixerat: *Accipite, et iudicate*. Dicebant autem eis interficere non licere, aut honestate festi, aut translati domini. Sed hoc Pilatus eis restituit, dicens: *Accipite eum vos*. Magis autem hoc agebant quodam sagacitate dolosa, dicentes eis penitus non licere, ut puta, quod a turbis, et ceteris presentibus et futuris haberentur immunes, si non ab ipsis, sed a gentibus auctoritate Romanorum Christus mortis sententia puniretur.

1485 Secundo Christus examinatur, scilicet a Pilato. Nam Pilatus, his auditis, illorum importunitate devictus, ad Christi examinationem iure ordinario se convertit: et tribus accusationibus sibi factis, unam tantum veritas, quae pertinere videbatur ad temporalem Romanorum statum, super illam dumtaxat examinat eum. *Introivit ergo Pilatus in praetorium, et vocavit Iesum, et dixit ei: Tu es Rex Iudaeorum?* Cavebat enim sibi, qui ex mandato Romani imperii procurabat Iudaeam, ne aliquis Rex per subdolan actionem insurgeret quam ipse cavere non posset, et ne Romanum Imperium illa provincia privaretur. Iacturam quoque personae propriae etiam verbarum: praefixerat enim in corde suo Pilatus se Christum Regem propria lingua confessum aut morti tradere, aut Romam mittere puniendum.

1486 Iesus autem prudenter cautela respondit, interrogatus interrogans, ac dicens: *A lenitipso hoc dicit, an alibi tibi dixerunt de me?* Quasi dicat: si a temetipso cogitasti me fore Regem, communis Index transivit in partem, quo facto semper est suspecta ventilatio rei. Si a temetipso causa sumpsit initium, iniustum est ut cogitatio Praesidum per examinationem exquiratur: si autem alii dixerunt de me, non me interroges, nam ipsi testificentur qui accusaverunt. Accusanti, non roo incumbit probatio: tantum defensio incumbit reo. Respondit Pilatus: *Nunquid ego Iudaeus sum? Gens tua et Pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti?* scilicet, non est verum quod dixeris te

Regem? Respondit Iesus: *Regnum meum non est de hoc mundo, quia non terrenum, sed caeleste, non corruptibile: aut mortale, nec transitorium, sed sine fine mansurum, sicut Dan. vii. cap. scriptum est: Potestas eius aeterna, quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpatur*. Nam etsi Christus secundum iura humana erat Rex mundi, quia etiam secundum carnem erat nobilior homo mundi, sicut colligi potest infra, sermone 67, art. 1, et cap. 1, tamen mysterialiter non erat Rex mundi; propterea subdit: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri utique mei decernerent, ut non traderet Iudaeis, scilicet ut iuxta eorum petitionem iudicaretur: atque firmando subnocit: Nunc autem regnum meum non est hinc*. Ergo regnum se habere dicebat secundum aliam formam, praeter quam mundo monstraret.

Pilatus vero, his auditis, adiecit: *Ergo Rex es tu?* Christus autem addidit: *Tu dicis, quia rex sum ego*. Nec parvipendit verba Christi Pilatus regnum, sed non de hoc mundo se habere dicentis; immo magnipendit et admiratur est; et velut quoddam nomen audit praedictum verbum; quod quidem ex sequentibus claret, quod statim voluerit tradere libertati. Vigilanti quidem studio per quia, non per quod scriptum est dictum Iesu, quem repliat ad Pilatum: *Tu dicis, quia Rex sum ego. Tu dicis, aut admirans, aut credens, quia Rex sum ego. Et ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Proculdubio testimonium veritatis est confusio falsitatis. Maxime autem Christus perhibuit testimonium illi veritati qua vita peragenda deducitur, ut ad aeternam vitam perveniat. Hinc Christus perhibuit testimonium in seipso, et moribus illam servans, et docens verbo; eidem testificans in miraculis et prodigiis multis, in passionibus et morte, sepultura et resurrectione, ascensione et Paracliti missione; atque veritatis amatores ad se pertinere omnino contestans, dicit: *Et omnis qui est ex veritate audit vocem meam, id est, mihi credit, obedit, et sequitur*.

1487 Non displicuit Pilato veritatis verbum, quod etiam improbi amant. Hoc enim habet veritas dignitatis inter ceteras virtutes, ut eam suis aemulus diligat, atque laudibus efferat. Omnis enim qui male agit amicus est veritatis: nam etsi fallere vult, non falli mavult: nam etiam impius dominus veritatem in servo requirit: fallax quoque homo filium, uxorem, familiam universam quaerit habere veracem. Ad hanc igitur veritatem Pilatus amore conversus, illectusque dulcedine vocis eius, quod ipsa sit Christum interrogans, dicit: *Quid est veritas?* neque unquam talem Pilatus audierat orationem, et forte per modicum tangebatur cor eius

a liberata prolatione verborum eius: quocirca interrogat: *Quid est veritas?* Cuius discretionem si audisset ab eo qui coram eo, velut homo reus, astabat, forsitan ei superna claritas illuxisset: cui si credidisset, non solum Christum liberasset, verumetiam descendisset de sede, factus de iudice iudicatus, de Praeside reus, de tyranno collega, animo et corpore Christi pedes fuisset amplexus, et eum tanquam Dei Filium adorasset.

1489 Tertio vero Christus excusatur, scilicet, a Pilato: nam ad eius animum liberandi Christum via subito praecoccidit, et velut mutabundus in animo, iam mente suspensus, ad dilationem impatiens, praesertim pro sedando tumultu furentis populi, non expectato Christi responso, egreditur ad Iudaeos, non odio veritatis quam scire quaerebat effugiens, sed compendium meditatus ut populum extra placaret, et Christum oculus liberaret: unde sequitur: *Et quum hoc dixisset, scilicet, interrogando, quid est veritas? iterum exiit ad Iudaeos extra, scilicet, tumultuantes*.

1490 Iterum enim ideo Evangelista subiungit, quia paulo ante exierat, ut audiret quam accusationem addiderent contra Christum. Nam iterum exiit, et ait ad Principes Sacerdotum et Scribas: *Ego nullam causam invenio in hoc homine*: Vide quomodo signanter Pilatus contra Iudaeos pro Christo publice testatur, dicens: *Ego, qui Gentilis sum, natione Lugdunensis, civisque Romant, non invenio causam mortis, vel etiam poenae istius quem meas tradidisti in manus: at tibi alicuius invidia et odio delatio facta est quem vere culpa nulla contaminat, quum deficient ad clamores, et ad contenda denio mendacia se conferunt delatores*. Unde sequitur: *At illis magis invalescebant voces, dicentes: Commovit universum populum, docens per universam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque hinc*. Invalescebant quidem Iudaei malo conatu super Pilati vocem qui Christi coram Iudaeis innocentiam allegabat, ut vox unius, tumultuantis populi superata clamoribus atque victa, succumberet, ne pateret innocentiae locus, quo libertatem reportans, a iudicio egrederetur immunis; bonumque et verum subinferebant, sed voluntate nocendi, dicentes: *Commovit universum populum*.

1491 Commovit sane populum per doctrinam mellifluam quam et operibus validabat: commovit populum virtute miraculorum atque signorum: commovit populum sermonibus veris ad gloriam sempiternam: propterea sequitur: *docens per universam Iudaeam*. Ecce actus istius et irreprehensibilis gestus ignorantem docere: virtus utique est docere quam ipsi verbebant in crimen. Sed ista delatio testimonium est laboris quem Christus sustinuit pro Iudaeis, pedester incedens, quum docuit per miser-

sam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque in Ierusalem. Coepit quidem a Galilaea, ut usque ad Ierusalem ascendendo doceret, nam doctrina Christi facit homines in superna consendere. Coepit a Galilaea velut ab hominibus doctis, ut pedetentim perveniret ad doctos Ierolymis constitutos.

## FERIA QUINTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.  
Matth. XV, 21-28.

In illo tempore: Egressus Iesus, recessit in partes Tyri et Sidonis.

21. Et ecce mulier Chananaea a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine fili David: filia mea male a daemonio vexatur.

22. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

23. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel.

24. At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine, adiuva me.

25. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.

26. At illa dixit: Etiam Domine: nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.

27. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTH., CAP. 15.

1492 **E**gressus inde Iesus, recessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananaea a finibus illis egressa clamavit, dicens ei. Scribis et Pharisaeis calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri et Sidonis, ut Tyrios, Sidoniosque curaret. Mulier autem Tyri Chananaea egreditur de finibus pristinis, ut clamans filiae impetret sanitatem. Observa quod in quinto decimo loco filia Chananaea sanetur. *Miserere mei, Domine, fili David*. Inde novit vocare filium David, quia egressa iam fuerat de finibus suis, et errorem Tyriorum ac Sidoniorum loci ac fidei commutatione dimiserat. *Filia mea male a daemonio vexatur*. Ego filiam Chananaea, puto animas esse credentium, quae male a daemonio

vexabantur, ignorantes Creatorem, et adorantes lapidem.

1493 *Qui non respondit ei verbum.* Non de superbia Pharisaea, nec de Scribarum supercilio; sed ne ipse sententiae suae videretur esse contrarius, per quam iusserat: *In viam gentium ne abieritis, et civitates Samaritanorum ne intraveritis* (MATTH. X, 5). Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare, perfectamque salutem gentium passionis et resurrectionis tempori reservabat. *Et accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.* Discipuli, illo adhuc tempore mysteria Domini nescientes, vel misericordia commoti, rogabant pro Chanaanica muliere, quam alter Evangelista Syrophenissam appellat (MARC. VII, 26), vel importunitate eius carere cupientes; quia non ut dementem, sed ut durum medicum crebricitus inlamarat.

1494 *Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.* Non quo et ad gentes non missus sit; sed quo primum missus sit ad Israel, ut illis non recipientibus Evangelium, iusta fieret ad gentes transmigratio (ACT. XIII, 46). Et significanter dixit, *Ad oves perditas domus Israel;* ut ex hoc loco etiam unam erroneam ovem de alia parabola intelligamus.

1495 *At illa venit et adoravit eum, dicens: Domine, adiuva me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Mira sub persona mulieris Chananitidis Ecclesiae fides, patientia et humilitas praedicatur. Fides, qua creditur sanari posse filiam suam. Patientia, qua toties contempta, in precibus perseverat. Humilitas, qua se non canibus, sed catulis comparat. Canes autem ethnici propter idololatriam dicuntur, qui esui sanguinis dediti, et cadaveribus mortuorum, feruntur in ra-

biem. Nota quod ista Chananitis perseveranter primum filium David, deinde Dominum vocet, et ad extremum adoret ut Deum.

1496 *At illa dixit: Etiam, Domine. Nam et catelli edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa ora.* Scio me, inquit, filiorum panem non mereri, nec integros posse capere cibos; nec sedere ad mensam cum patre; sed contenta sum reliquiis catulorum; ut per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem. O mira rerum conversio! Israel quondam filius, nos canes. Pro diversitate fidei, ordo nominum commutatur. De illis postea dicitur: *Circumderunt me canes multi* (PSAL. XXI, 17). Et: *Videte fidei, ordo nominum commutatur.* De illis postea dicitur: *Circumderunt me canes multi* (PSAL. III, 2). Nos audivimus cum Syrophenissa, et muliere quae sanguine fluxerat: *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Et: *Filia, fides tua te salvam fecit* (MARC. V, 34).

#### Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. I, SERM. 57).

1497 **S**ECUNDA contemplatio pertinet ad incrementum Dominicæ Passionis etiam in se tria comprehendit. Primum est ad Herodem missio, secundum est Iudaeorum accusatio, tertium ad Pilatum remissio.

1498 Primum est ad Herodem missio, scilicet, facta a Pilato. Nam Pilatus, audita nova obiectione criminum, et Galilaeam auribus suis sonuisse, percunctatur si Galilaeus erat Iesus. Et, rei veritate comperta, conabatur eum a suo iudicio alienum fieri, et ad alium, id est iudicem, tentavit illum inferre, pro eo quod Galilaeus suo iudicio non substabat; potius tamen ut a iudicio Christi manus suas innoxias reservaret, et ut Herodem ab ipso discordem placaret, sibi tradidit iudicandum: propterea Evangelista ait: *Et ut cognovisset, Pilatus, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Ierosolymis erat in diebus illis.*

1499 **M**ittitur igitur Christus ad Herodem tanquam Galilaeus, atque divina providentia factum est ut Herodes illis diebus Ierosolymis interesset ad complementum Dominicæ passionis, ad testimonium veritatis, ad confusionem Iudaeorum; quia Herodes non invenit quid puniret in Christo, sicut subsequens Scriptura testatur: *Herodes autem, viso Iesu, genitus est valde. Erat enim cupiens videre illum ex multo tempore, eo quod audisset multa de illo, et sperabat aliquod signum videre ab eo fieri.* Interrogabat autem illum multis sermonibus; cuius curiositatem et mentis vanitatem Salvator cognoscens, neque signum coram eo fecit, neque ad sua interrogata respondit: non enim fastidiosis animis alta mysteria pendenda sunt, neque prodigia faciendi coram sectantibus vanitatem.

1500 **S**ecundo subditur Iudaeorum accusatio. Multum enim ad suam innocentiam comprobendam, et Iudaeorum proterviam condemnandam excusat Christum saeva Gentilitas, quod in illo nulla iniquitas reperitur. Sed, Christo coram Herode, tenente silentium, inclamant insatiabilis crudelitas Iudaeorum; unde sequitur: *Stabant autem Principes Sacerdotum et Scribae constanter accusantes eum; ex quo patet quod a domo Pilati usque ad domum Herodis Principes Sacerdotum et Scribae Christum nocendi animo fuerant persecuti; ut, si elapsus, aut emissus erat de manu Pilati, ab Herodis iudicio tergiversari non posset absque suscepta sententia mortis.* Accusabant autem eum accusationibus illis quibus eum accusaverant ante Pilatum; et tanto gravioribus, atque iniquioribus quanto eos, ne Herodes eum absolveret, amplior timor angebat. Nam quia a Pilato dimissus erat, si eum liberum dimisisset Herodes, suffugerat a Iudaeis omne tribunal Ierosolymis, antequam possent Christum ulterius convenire. Quamobrem, aut, exagitantia a rabie Christum occidendi, manibus propriis grandine lapidum occidissent, aut, velut appellantes ab his Iudicibus, tanquam morte plectendum compositum sub fida custodia cum causarum delatione Romanam ad Caesarem destinassent. Haec enim erat Iudaeorum damnata constantia, ut Christus morti protinus traderetur.

1501 **T**ertio subditur ad Pilatum Christi remissio. Quia autem etiam coram Herode delatio iniqua defecit, quae nec Herodem ad sententiam proferendam inflexit; sed *sprevit illum Herodes cum exercitu suo*, quia, scilicet, signum non fecerat, neque protulerat ad interrogata responsionem, quem existimavit fatuum, aut mortis terrore paventem, seu hominem ante praesumptuosum in suis moribus atque vita, qui nunc, veluti imperitus, in causa defecisset: *Et illis indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus*

*in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem, ut verificetur quod Propheta (Ps. II) ait: Assidue Reges terras, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius: non est enim verorum Regum illud in iudicio constituto, sed condemnare convictum reum, aut absolvere innocentem. Sed ad exaggerationem passionis Christi, et contumeliam eius etiam Reges terrae infatuati sunt, in Regem iniquum etiam assistentes saepe conveniunt. Et qualis Rex, talia sunt et latera eius. Hinc est quod Herodes Christum illis cum exercitu suo.*

1502 **I**llus et veste alba indutus, revertitur ad Pilatum. Alba quippe vestis insinuat innocentiam patientis, ac fideles posteros per fidem conexos charitate contextos ablucens in Sanguine agni innocenter occisi. Quod autem agitatur Christus inter Praesides atque Reges, nulla causa condemnationis inventa, innocentiam omnimodam arguit Salvatoris, quae imposterum ad Tiberium Caesarem etiam ore tenus est delata, ut etiam ipse Tiberius Senatui Romano proponeret Christum inter deos esse colendum. Quis dubitare queat quod Virgo mater Filium suum plorando sequitur, quum dicitur ad Herodem, atque post illum revertitur, quum remittitur ad Pilatum, continue laborando in fletu cum Ioanne et Magdalena et sororibus suis?

1503 **T**ertia contemplatio pertinet ad incrementum Passionis Dominicæ tria quoque in se comprehendit. Primum est Christi excusatio, secundum est accusationis aggravatio, tertium liberationis replicatio.

1504 **P**rimum est Christi excusatio, scilicet, facta a Pilato: propterea subdidit: *Pilatus autem, convocatis Principibus Sacerdotum, et Magistratibus, et plebe, exiit ad eos foras:* erat enim in conclavi cum Christo, quoniam innocentiam suam tuebatur. Intellexerat forte per Herodis apices, aut per secretarios eius, delatoribus inscis, innocentiam Christi; propterea ait: *Obstulisti mihi hunc hominem quasi avertentem populum.* Vide quanta solertia verba liberationis Christi enunciat qui eum avertentem non dicit, sed quasi avertentem. Non enim Pilatus hanc criminationem veram esse censebat, scilicet, quod Christus a bono aliquo, aut a rectitudine avertisset. *Eccce adduco eum foras:* demonstrative loquitur Pilatus, et effectus perficit quod dicebat: et subdit, dicens: *Non invenio emsam in hoc homine in his, in quibus eum accusatis;* quasi dicat: Ex aliis incognitis, vel non factis mihi eum iudicare non licet. Et ad validationem assertionis suae inducit Herodem, dicens: *Sed neque Herodes:* ex quo Christi puritas amplius elucebat, quoniam duo disertissimi Principes causam mor-





ptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

1524 Quid ergo fiebat ut in aqua illa turbata sanarentur, qui in porticibus sanari non poterant? Subito enim videbatur aqua turbata, et a quo turbabatur non videbatur. Credas hoc angelica virtute fieri solere, non tamen sine significante aliquo sacramento. Post aquam turbatam mittebat se unus qui poterat, et sanabatur solus: post illum quisquis se mitteret, frustra faceret. Quid sibi ergo hoc vult, nisi quia venit unus Christus ad populum Iudaeorum; et faciendo magna, docendo utilia, turbavit peccatores, turbavit aquam praesentia sua, et excitavit ad passionem suam? Sed latens turbavit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixis sequant (I COR. II, 8). Descendere ergo in aquam turbatam, hoc est humiliter credere in Domini passionem. Ibi sanabatur unus, significans unitatem; postea quisquis veniret, non sanabatur: quia quisquis praeter unitatem fuerit, sanari non poterit.

1525 Videamus ergo quid voluerit significare in illo uno, quem etiam ipse servans unitatis mysterium, sicut praelocutus sum, de tot languentibus unum sanare dignatus est. Invenit in annis eius numerum quemdam languoris: *Triginta octo annos habebat in infirmitate*. Hic numerus quomodo magis ad languorem pertineat, quam ad sanitatem, paulo diligentius exponendum est. Intentos vos volo; aderit Dominus, ut congrue loquar, et sufficienter audiat. Quadragenarius numerus sacratus nobis in quadam perfectione commendatur. Notum esse arbitror Charitati vestrae: testantur saepissime divinae Scripturae. Ieiunium hoc numero consecratum est: bene nostis. Nam et Moyses quadraginta diebus ieiunavit (EXOD. XXXIV, 28), et Elias todi-

dem (III REG. XIX, 8), et ipse Dominus noster et Salvator Iesus Christus hunc ieiunii numerum implevit (MATTH. IV, 2). Per Moysen significatur Lex, per Eliam significantur Prophetiae, per Dominum significatur Evangelium. Ideo in illo monte tres apparuerunt, ubi se discipulis ostendit in claritate vultus et vestis suae. Apparuit enim medius inter Moysen et Eliam (Ibid. XVII, 1-3), tamquam Evangelium testimonium haberet a Lege et Prophetis (ROM. III, 21). Sive ergo in Lege, sive in Prophetis, sive in Evangelio, quadragenarius numerus nobis in ieiunio commendatur. Ieiunium autem magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum ieiunium: *ut abnegantes impietatem et saeculares cupiditates, temperanter, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo*. Huic ieiunio quam mercedem addit Apostolus? Sequitur, et dicit: *Expectantes illam beatam spem, et manifestationem gloriae beati Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi* (I TH. II, 12, 13). In hoc ergo saeculo quasi Quadragesimam abstinentiae celebramus cum bene vivimus, cum ab iniquitatibus et ab illicitis voluptatibus abstinemus. Sed quia haec abstinentia sine mercede non erit, expectamus *beatam illam spem, et revelationem gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi*. In illa spe, cum fuerit de spe facta res, accepturi sumus mercedem denarium. Ipsa enim merces redditur operariis in vinea laborantibus secundum Evangelium (MATTH. XX, 9, 10), quod vos credo reminisci: neque enim omnia commemoranda sunt, tamquam rudibus et imperitis. Denarius ergo qui accipit nomen a numero decem, redditur, et coniunctus quadragenario fit quinquagenarius: unde cum labore celebramus Quadragesimam ante Pascha; cum laetitia vero, tamquam accepta mercede,

Quinquagesimam post Pascha. Nam huic tamquam salutari labori boni operis, qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis et felicitatis denarius, ut quinquagenarius fiat.

1526 Significavit hoc et ipse Dominus Iesus multo apertius, quando post resurrectionem quadraginta diebus conversatus est in terra cum discipulis suis (ACT. I, 3); quadragesimo autem die cum ascendisset in coelum, peractis decem diebus misit mercedem Spiritus sancti (Ibid. II, 1-4). Significata sunt ista, et quibusdam significationibus res ipsae praeventae sunt. Significationibus pascimur, ut ad res ipsas perdurantes pervenire possimus. Operari enim sumus, et adhuc in vinea laboramus; finito die, finito opere, merces restituitur. Sed quis operarius perdurat ad accipiendam mercedem, nisi qui pascitur cum laborat? Non enim et tu operario tuo mercedem solam daturus es: non etiam afferes illi unde vires reparat in labore? Pascis utique cui mercedem daturus es. Proinde et nos Dominus in istis Scripturarum significationibus laborantes pascit. Nam si ista intelligendorum sacramentorum laetitia subtrahatur a nobis, deficiamus in labore, et non erit qui perveniat ad mercedem.

1527 Quomodo ergo quadragenario numero perficitur opus? Fortasse ideo, quia Lex in decem praeceptis data est, et per totum mundum praedicanda erat Lex: qui totus mundus quatuor partibus commendatur, Oriente et Occidente, Meridie et Aquilone, unde denarius per quatuor multiplicatus, ad quadragenarium pervenit. Vel quia per Evangelium quod quatuor libros habet, impletur Lex: quia in Evangelio dictum est: *Non veni solvere Legem, sed adimplere* (MATTH. V, 17). Sive ergo illa, sive ista causa, sive alia aliqua probabiliore, quae nos latet, doctiores non latet; certum est tamen qua-

dragenario numero significari quamdam perfectionem in operibus bonis, quae maxime opera bona exercentur in abstinentia quadam ab illicitis cupiditatibus saeculi, hoc est, generali ieiunio. Audi et Apostolum dicentem: *Plenitudo Legis charitas* (ROM. XIII, 10). Charitas unde? Per gratiam Dei, per Spiritum sanctum. Non enim haberemus illam ex nobis, quasi facientes illam nobis. Dei donum est, et magnum donum: *Quoniam charitas Dei, inquit, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (Ibid. V, 5). Charitas ergo implet Legem, et verissime dictum est: *Plenitudo Legis charitas*. Quaeramus hanc charitatem, quemadmodum commendatur a Domino. Mementote quid proposuerim; numerum triginta octo annorum in illo languido volo exponere, quare numerus ille trigesimus octavus languoris sit potius quam sanitatis. Ergo, ut dicebam, charitas implet Legem. Ad plenitudinem Legis in omnibus operibus pertinet quadragenarius numerus: in charitate autem duo praecepta nobis commendantur. Intuemini, obsecro, et figite memoriae quod dico; ne sitis contemptores verbi, ne fiat anima vestra via, ubi grana iacta non germinent: *Et venient, inquit, volatilia coeli, et colligent ea* (MARC. IV, 4). Percipite, et recondite in cordibus vestris. Charitatis praecepta duo sunt a Domino commendata: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et Diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus praeceptis tota Lex pendet et Prophetiae* (MATTH. XXII, 37-40). Merito et illa vidua omnes facultates suas, duo minuta misit in dona Dei (LUC. XXI, 2-4): merito et pro illo languido a latronibus sauciato, stabularium duos nummos accepit unde sanaretur (LUC. X, 35): merito apud Samaritanos biduum fecit Ie-

sus, ut eos charitate firmaret (IOANN. IV, 40). Binario ergo isto numero cum aliquid boni significatur maxime bipartita charitas commendatur. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem Legis, et Lex non impletur nisi in gemino praecepto charitatis: quid miraris quia languebat qui ad quadraginta, duo minus habebat?

1538 Videamus proinde iam quo sacramento iste languidus curetur a Domino. Venit enim ipse Dominus, charitatis doctor, charitate plenus, *brevians*, sicut de illo praedictum est, *verbum super terram* (Is. x, 23, et XXVIII, 22; ROM. IX, 28); et ostendit in duobus praeceptis charitatis pendere Legem et Prophetas. Inde ergo pendit Moyses quadragenario suo, inde Elias cum suo, hunc numerum attulit Dominus in testimonio suo. Curatur iste languidus a praesente Domino; sed prius quid ei dicit? *Vis sanus fieri?* Respondit ille hominem se non habere a quo in piscinam mittatur. Vere necessarius erat illi homo ad sanitatem, sed homo ille qui et Deus est. *Unus enim Deus, unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* (I TIM. II, 5). Venit ergo homo qui erat necessarius: quare sanitas differretur? *Surge*, inquit, *tolle grabatum tuum, et ambula*. Tria dixit: *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula*. Sed *Surge*, non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis. Sano autem duo imperavit: *Tolle grabatum tuum, et ambula*. Rogo vos, cur non sufficeret, *Ambula?* aut certe cur non sufficeret, *Surge?* Neque enim ille cum sanus surrexisset, in loco remansisset. Nonne ad hoc surrexisset ut abisset? Movet ergo me etiam quod duo praecepit, qui illum iacentem duobus minus invenit: tanquam enim duo quaedam iubendo, quod minus erat implevit.

1539 Quomodo ergo inveniamus in his duo-

bus Domini iussis, duo illa praecepta significata charitatis? *Tolle*, inquit, *grabatum tuum, et ambula*. Quae sunt illa duo praecepta, fratres, recolite mecum. Notissima enim esse debent, nec modo tantum venire in mentem cum commemorantur a nobis, sed deleri nunquam debent de cordibus vestris. Semper omnino cogitate diligendum esse Deum et proximum: *Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente; et proximum tanquam seipsum*. Haec semper cogitanda, haec meditanda, haec retinenda, haec agenda, haec implenda sunt. Dei dilectio prior est ordine praecipienda; proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim qui tibi praeciperet dilectionem istam in duobus praeceptis, prius tibi commendaret proximum, et postea Deum; sed prius Deum, postea proximum. Tu autem quia Deum nondum vides, diligendo proximum promeraris quem videas; diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum, evidenter Ioanne dicente: *Si fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo diligere poteris?* (I IOANN. IV, 20). Ecce dicitur tibi: Dilige Deum. Si dicas mihi: Ostende mihi quem diligam; quid respondebo, nisi quod ait ipse Ioannes: *Deum nemo vidit unquam?* (IOANN. I, 18). Et ne te alienum omnino a Deo videntem esse arbitreris: *Deus*, inquit, *charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet* (I IOANN. IV, 16). Dilige ergo proximum: et intueri in te unde diligis proximum; ibi videbis, ut poteris, Deum. Incipe ergo diligere proximum. *Frangere esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam: si videris nudum, vesti, et domesticos sentinis tui ne despexeris*. Faciens autem ista quid consequeris? *Tunc erumpet velut matutina lux tua* (Is. LVIII, 7, 8). Lux tua Deus

tus est, tibi *matutina*, quia post noctem saeculi tibi veniet; nam ille nec oritur, nec occidit; quia semper manet. Erit tibi *matutinus* redeunti, qui tibi occasum fecerat pereunti. Ergo, *Tolle grabatum tuum*, mihi videtur dixisse, Dilige proximum tuum.

1530 Sed clausum est adhuc, et expositione indiget, quantum arbitrator, quare in tollendo grabato dilectio proximi commendatur: nisi forte hoc nos offendit, quod per grabatum, rem quamdam stolidam et insensatam, proximus commendatur. Non irascatur proximus, si commendatur nobis per rem quae sine anima et sine sensu est. Ipse Dominus et Salvator noster Iesus Christus lapis angularis dictus est, ut duos conderet in se (EPHES. II, 14-20). Dictus est et petra, unde aqua profluxit: *Petra autem erat Christus* (I COR. X, 4). Quid ergo mirum, si Petra Christus, lignum proximum? Non tamen qualecumque lignum: quomodo nec illa qualecumque petra, sed unde aqua profluxerat sitientibus; nec qualecumque lapis, sed angularis, qui in semetipso copulavit duos parietes e diverso venientes. Sic nec qualecumque lignum proximum acceperis, sed grabatum. Quid ergo in grabato, obsecro te? quid, nisi quia ille languidus grabato portabatur? Sanus autem grabatum portat. Quid dictum est ab Apostolo? *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (GALAT. VI, 2). Lex ergo Christi charitas est, nec charitas impletur nisi invicem onera nostra portemus. *Stufferentes*, inquit, *invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (EPHES. IV, 2, 3). Cum esses languidus, portabat te proximus tuus; sanus factus es, porta proximum tuum: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi*. Sic adimplebis, o homo, quod tibi deerat. *Tolle ergo*

*grabatum tuum*. Sed cum tuleris, non remanere, *ambula*. Diligendo proximum, et curam habendo de proximo tuo, iter agis. Quo iter agis, nisi ad Dominum Deum, ad eum quem diligere debemus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente? Ad Dominum enim nondum pervenimus, sed proximum nobiscum habemus. Porta ergo eum, cum quo ambulas; ut ad eum pervenias, cum quo manere desideras. *Tolle ergo grabatum tuum, et ambula*.

1532 Fecit hoc ille, et scandalizati sunt Iudaei. Videbant enim hominem die sabbati portantem grabatum suum, nec calumniabantur Domino quod sanum eum fecerat sabbato, ut eis respondere posset quia si cuiusquam eorum iumentum in puteum cecidisset, utique die sabbati erueret illud, et salvaret iumentum suum (LUC. XIV, 5); non itaque iam illi obiciebant quod die sabbati sanus factus esset homo; sed quod portabat grabatum suum. Si sanitas non erat differenda, numquid et opus fuerat imperandum? *Non licet tibi*, inquit, *facere quod facis, tollere grabatum tuum*. Et ille auctorem sanitatis suae obiciebat calumniatoribus: *Qui*, inquit, *me fecit sanum, ipse mihi dixit: Tolle grabatum tuum, et ambula*. Non acciperem iussionem a quo receperam sanitatem? Et illi: *Quis est ille homo qui tibi dixit: Tolle grabatum tuum, et ambula*.

1533 *Sed qui sanus erat factus nesciebat quis esset, a quo hoc audierat. Iesus autem, cum hoc fecisset, et iussisset, declinaverat ab eo in turba*. Videte quemadmodum et hoc impleatur. Portamus proximum, et ambulamus, ad Deum; sed cum ad quem ambulamus, nondum videmus: ideo et ille nondum noverat Iesum. Sacramentum hoc commendatum est, quia in eum credimus quem nondum videmus: et ut non videatur, declinat in turba.



Difficile est in turba videre Christum: solitudo quaedam necessaria est menti nostrae; quaedam solitudine intentionis videtur Deus, Turba strepitum habet; visio ista secretum desiderat. *Tolle grabatum tuum*, porta portatus proximum tuum; *et ambula*, ut pervenias. Noli Iesum quaerere in turba, non est tamquam unus de turba: praeventit omnem turbam. Prior ascendit de mari piscis ille magnus, et in coelis sedet interpellans pro nobis: tamquam sacerdos magnus, unus intravit in interiora veli: turba foris stat. Ambula, tu, qui portas proximum tuum; si didicisti portare, qui solebas portari. Denique modo nondum nosti Iesum, nondum vides Iesum: quid postea sequitur? Quoniam non destitit ille tollendo grabatum suum, et ambulando, *Vidit eum postea Iesus in templo*. In turba non eum vidit, in templo vidit. Dominus quidem Iesus et in turba eum videbat, et in templo: ille autem languidus Iesum in turba non cognoscit, in templo cognoscit. Pervenit ergo ille ad Dominum; vidit eum in templo, vidit eum in loco sacro, in loco sancto. Et qui ab eo audit? *Ecce iam sanus factus es; noli peccare, ne quid tibi deterius contingat*.

1533 Tunc ille, posteaquam vidit Iesum, et cognovit Iesum auctorem sanitatis suae, non fuit piger in evangelizando quem viderat: *Abiit, et nuntiavit Iudaeis quia Iesus esset qui eum sanum fecerat*. Ille annuntiabat, et illi insaniebant: ille salutem suam praedicabat, illi salutem suam non quaerebant.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. I, SERM. 51.)

1534 PRIMA contemplatio pertinet ad complementum Dominicae Passionis insuper continet in se tria. Primum est daemonis dissuasio, secundum est Iudaeorum infestatio, tertium est Christi sententia.

1535 Primum est daemonis dissuasio. Decrevit enim Pilatus aut de consensu Iudaeorum Christum libertati tradere, aut super eum proferre sententiam mortis. Egressus igitur foras cultu corporis, et exteriori apparatu vexillorum et armorum, ac ceterorum quibus Romani Praesides in eos conservarent proferre sententiam: *Et iussit poni tribunal in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha, Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum rator eius, dicens: Nihil tibi, et iusto illi*; in hac siquidem muliere innocentia Christi et malitia diaboli convenerunt; et diaboli ex malitia suggerit pro innocentia. Volebat enim antiquus hostis redemptionem humani generis impedire, suspiciens Christum esse Filium Dei, quia Patres in lybiam senserat exsultare. Adit igitur mulierem, quam ut plurimum novit esse proclivem; sciebat enim Pilatum ad illam plus debito amore ligari. Amor enim confestim exaudivit quod amatus expositat. Et primum virum per feminam in amore ligatum diabolus circumvenit. Uxor igitur Pilati horriliter terrendo apparuit, dicens: Quid apud tuum virum astat ut reus qui innocens est et iustus? Cuius damnatio ad mortem esse non potest sine horrenda ultione Pilati, et per consequens etiam tui. Proinde tibi consulo, et viro tuo ut iudicium omnino suspendat, nec ille tecum terribilla et inopinata patatur mala. Expavefacta mulier novitate videndi, similiter et audiendi, statim suggestioni mori femineo credens, accersitum quemdam referendarium praestructum visioni statim dirigit ad Pilatum, aut literas scripsit, et misit haec verba saltem in sententia continentes: *Nihil tibi, et iusto illi*.

1536 O infidelis iniquitas, et caeca perversitas Iudaeorum! Omnes, praeterquam vos, innocentiam Christi clamant. Clamant Praesides, Herodes actibus pandit, daemon per visum insinuat, mulier profertur, referendarius nuncius profert, *Nihil tibi, et iusto illi*, ut non solum innocentia, sed iustitia Christi praecognitionum laudis in iudicio habeat. Plus enim est iustum esse, quam innocentem fieri. Quasi dicere velit: *Nihil tibi* qui solum ad malefactorum vindictam positus es, *et iusto illi* qui nihil mali fecit. Ac si aperte suadendo dicat: Refrena iudicium, sententiam omnino suspende, vide quid agas, ne efficiaris in viro iusto proferendo sententiam criminis, et non impune transibit. Et rationem subdit, dicens: *Multa enim hodie passa sunt per visum propter eum*, id est, passa sum videntem non sententiando, non in praesenti, sed in terribilibus comminationibus de futuro; per visum quidem, quia sic monstratum est mihi. Apparuerat enim sibi bonorum omnium impeditor forte in aliqua subiecta materia.

1537 Secundo subditur Iudaeorum infestatio, scilicet, ut Christus morti traderetur; propterea subinfertur: *Erat autem paravescere hora quasi sexta*: Et dicit Iudaeis Pilatus, demonstrans eis Christum iterum: *Ecce rex vester*, suis verbis volens praetendere Christi vilitatem, ut timorem auferat de cordibus Iudaeorum, et ipsorum crudelitas mitigetur, ut non sit in illorum cura, utrum vivat, an moriatur tam abiecta conditio viri. *Illi autem dicebant: Tolle, tolle, crucifige eum*.

1538 O dulcis Iesus qui tam durus esset et impius, ut clamores illos horribiles: *Tolle, tolle, crucifige eum* sine gemitu et clamore spiritus aure corporis valeret audire, seu mente tractare? O impatientis feritas, et saeva crudelitas, et cruenta impatientia Iudaeorum! Quae non patris Pilatum implere, aut per amplius prorogare sermonem; et quod iure non potest, satagis clamoribus superare: ait enim: *Tolle, tolle, crucifige eum*: crudelem instantiam in praesagium futurorum ostendis. Nam quales tunc eratis, similiter et futuri, talis geminatio praetendebat, eo quod Christus tollendus erat a vestra fide, et dilectione, sicut et tunc penitus ablatum erat. *Et dixit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigim? Responderunt Pontifices: Non habemus regem, nisi Caesarem*; quem licet invite ferrent, comparatione tamen Christi tolerabilior erat Caesar. Hoc tamen dicebant, ut ad Caesarem possent esse appellando recursus, nisi Christum Pilatus, lata sententia, interimeret. Sed iusto iudicio factum est ut ipsi a Caesare imposterum caesi sint qui, detestantes Christum, Caesarem elegerunt.

1539 Tertio subditur Christi sententia. Nam tunc omni spe libertatis Christi adempta, nec libenti voto valens Pilatus eripere eum, male factus, a veritate auditum avertens, a iustitia sancta declinans, usque ad hanc horam habita pietate relicta, in impietate versus, dictavit per crucem mortis sententiam super Christum et super latrones, quos merito ipsorum iniquitas cum eo iussit affigi. Formam vero verborum tam saevae latae sententiae Notarii gestorum Christi scribere non curaverunt; idcirco sub certa forma non tradimus eam. Sed nec istam incuriam inadvertentiae imputemus Evangelistarum scribentium, sed divinae providentiae gubernatrici omnium, quae nihil permisit in Evangelio scribere impertinens, nihilque dimisit expectans: *Tunc adiudicavit Pilatus fieri petitionem eorum, et tradidit eis illum ut crucifigeretur. Tradidit*, scilicet, Iudaeis, illum ad voluntatem: militibus vero et ministris ad sententiae inique executionem.

1540 O iniquitas consummata! quod homo Deum, iniustus iustum, peccator sanctum, iudicandus iudicaturum Deum iudicet, velat reum.

1541 Qua audita saeva et iniusta sententia, Beata Virgo, dolenti corde, lacrymabili ac lamentabili voce dicere potuit ad Pilatum: *Heu mihi Pilate, quid fecisti? Quid est quod te festinavit? Quis tui animi pietatem infecti? Quis te a veritate divertit? Quis te adversum innocentiam dicitivi Filii mei Iesu, tamquam adversum aemulam, exaltavit? Quis te inimicum fecit Filii mei Iesu, pro quo usque in praesens liberando toties laborasti? O infelix anima! Unde in te haec multo facta est? An te male fecisse cognoscis quod pro Filio meo liberando certaveris? An te minae terruerunt populi Iudaeorum? An Caesarem expavescis, si dilecti Filii mei innocentiam non confundis? Vae tibi, infelix Pilate, qui culmini Romano iniuriam facis, et in Caesarem notam ponis, et maculam Deicidii in gloria tua. Confundis praesidentiae sedem, subvertis ordinem iuris. Quiddid est honoris atque pudoris evactas. Male agendi tuis similibus exempla disponis, dilanias leges, omnibus te reldis infamem: et eo de te deterior volabit infamia, quo Filii mei innocentiam pluries proclamasti. Et te in eo causam nullam mortis et poenae invenisse coram Principibus Sacerdotum et plebe fausti constanti audacia protestatus; et cum nunc facto condemnas qui paulo ante verbo in te a defensus est. An oblitus es verborum tuorum? aut te tam levi, stulta et subita mutatione confundis?*

1542 O anima nequam, iure contra te armarentur omnia elementa; quoniam, prout in te agitur, confundis Filium meum saeculi auctorem. Merito tibi omnes virtutes singulae adversantur, vita omnia complectuntur. Ordo naturae, morum, atque iustitiae te repellit, eo quod innocentiam Filii mei propter inimicitiam laniasti. O impie et crudelis, et dire tyranne: ad quid leges? ad quid iura? ad quid praesidentia magistratus? ad quid Caesaris celsitudo? ad quid tribunal omnium Regum terrae? si apud tutores hominum plebeiorum et Reipublicae defensores tanta Filii mei innocentia et puritas et vita immaculata non possunt tute consistere? Sed et tu, anima quocumque es, peccatrix, et nequam, vide quod innocentissimus agnus, ut te a sententia iustae damnationis eriperet, iniusto propter te iudicio elegit condemnari. Ecce quae non rapuit pro te solvit, et tu, impia et crudelis, nec devotionis excolvis gratitudinem, nec compassionis rependis teneritatem, nec insuper ad haec considerationis aperis intellectum.

1543 Secunda contemplatio pertinet ad complementum Dominicae Passionis insuper continet in se tria. Primum est Christi oratio, secundum Christi debilitatio, tertium ad Christum compassio.

1544 Primum est oratio, quia pondere crucis orationis erat: et de hoc subditur: *Milites autem et*